

prudentiæ, hæc artis: adeoq; praxis & effectio sunt actus imperati. Sequitur in definitione Logices differentia, desumpta à subjecto & fine adæquatis.

Subjectum
Logicæ tri-
plex.
Subjectum
tractatio-
nis.

3 Subjectum Logicæ triplex est; tractationis, informationis, & operationis.

Subjectum tractationis, seu doctrinæ (barbaris doctrinale) est, in quo docendo tota Logica est occupata. Estq; modus bene disferendi. Hujus subjecti duæ sunt partes, materiale & formale. *Zab. de trib. pracog.* Materiale est res ipsa considerata, videl. *instrumenta*, seu notiones secundæ, quatenus sunt organa intellectualia. Et hæc res considerata non est ppria Logicæ, sed etiã Grammaticæ & Rhetoricæ competit. Sed formale, quod est modus considerandi, omninò proprium est Logicæ, videl. *modus benè disferendi*. Per hunc enim instrumenta Logica sunt Logica. *6. Metaph. text. 40.* In hoc formali excutiemus singula vocabula. *Modus* nihil est aliud, quàm via: unde Dialectica dicitur janua, per quam ingredi liceat ad speciales disciplinas addiscendas. Licet. n. Logica naturalis, quæ est vis naturæ sive lux quædam, *ὁμοῖν* sit insita: non tamen artificialis ideò non est necessaria, ut quidam contendunt. Ratio: quia natura habiles duntaxat facit, ars verò faciles, juxta illud Ciceronis: *Ars est dux certior, quàm natura.* Etenim Dialecticæ principia & semina homini indita, sunt duntaxat inchoatio Dialecticæ perfectæ, *ἢ ὡς τελέχεια*. Hoc sensu Arist. *1. Rhet. ad Theodect. c. 1.* docet homines esse à naturâ Dialecticos & Rhetoricos. Quod igitur natura inchoavit, ars perficit. Nec est, quòd quis objiciat Logicam non esse necessariam propter alias scientias, vel res, cum primis divinas, addiscendas; eò quòd aliæ scientiæ sua habeant principia & conclusiones, quæ intellectu ordinis & consequentiæ, quem à Deo habemus, cognosci possint, in primis autem SS. Theologia, ut quæ non subjaceat lumini naturæ, sicut docet Ambrosius, dum ait: *Faceffant Dialectici, ubi credendum est piscatoribus;* cui succinit Lutherus tom. 1. dum ait, *Veritatem & majestatem scripturæ in angustias rationis & syllogismum includi nò posse: ut quæ sit non quidem contra, sed extra, intra, supra, infra, citra omnem Dialecticam.* Si quis hæc talia nobis objiciat, huic talem comparatam volumus responsionem.

Logica est
naturalis,
vel artifi-
cialis.

Logica
quomodo
sit necessa-
ria?

Logica